



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. IV. Maria Mater est Misericordiæ. Conceptibus suavissimus
insinuatur, quàm benigna, ac misericors Maria erga genus humanum
semper fuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS IV.

S. Maria Virgo Mater DEI, Mater est Misericordia.

Certum ac indubitatum est, unigenitum Dei Filium Exordium. pro redemptione generis humani hominem factum, Verbum Patris æternum, incarnatum, de purissimâ carne Virginis intemeratæ, carnem sumpsisse, & sanguinem: Quæstionem tamen valdè gratam & acceptam movent Theologi, quâ ex parte corporis eam Dominus assumere dignatus sit? Hos inter respondet doctissimus Salmeron. tom. 3. tract. 3. Verbum Carnem factum in corde Virginis: docent nunc Philosophi, sanguinem in corpore humano ex corde in venas abundè diffluere, ex quâ doctrinâ ingeniosè deducit seraphicus Doctor Bonaventura serm. de laud. Virg. quòd, cum Christus, qui est ipsa Dei misericordia, in corde Virginis Matris carnem assumpserit, & sanguinem, ipsa Virgo, Dei Mater dignissimo titulo, *Vena misericordia*, dici possit, de cujus scilicet corde viscera misericordiæ Dei nostri, per Mariam in spiritualia Christi membra abundè diffluunt, & sic totum Christi corpus mysticum maternè vivificant: cui proinde subscribit Symbolista: *In omnes affluenter effundit, nec deficit.* Ex hoc ipso etiam capite, *Matrem misericordia*, intitulat Richardus à S. Laurentio. lib. 4. de laud. Virg. *Maria dicitur Mater misericordia, id est Christi, qui antonomastice dicitur misericordia, Mater enim est, omnia bona nobis vult, sicut Mater Filiis.* Hanc quamvis Matrem misericordiæ adhuc nemo non sit expertus, pro dignitate tamen, sensus SS. Patrum SS. Patres. libeat percipere. *Quid mirum, si misericordiâ affluis, qua ipsam misericordiam peperisti; carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent; cum enim misericordiam lactasti,*

- ab eadem misericordia ubera accepisti: ad te ergo Matrem misericordie, Matrem miserorum, clamant exules filii Eve, clamant ipse miseria. alloquitur Virginem, misericordie Matrem Richardus à S. Victore, cap. 23. in Cant. Erras, si misericordiam ullò tempore vel locò credideris in Marià defuisse, qua Mater dicitur misericordie, quia quodammodo sibi proprium est, misereri miseris. scribit Gerson tract. 6. in Magnif. Fugiat ergo reus justì Dei ad piam Matrem misericordie Dei, perorat S. Anselmus in Orat. ad B. V. & ad ejus Filium. Solum divine misericordie est Maria Mater misericordie, in quo omnes invenimus solatia misericordie; nam sicut misericordissimum Dominum, ita misericordissimam Dominam habemus, consolatur nos Doctor seraphicus Bonaventura, in spec. lect. 9. Videamus, à quo data, seu data est misericordia nobis, & quidem à Regina cælorum, gloriosâ Virgine Mariâ, qua inde ipsum proprium Filium nobis obtulit, ut per ejus misericordiam salvaremur. discurremus Bernardinus Senensis, ferm. 2. de Purif. B. V. art. 3. quem discursum laicius deducit, & concludit B. Albertus Magnus tract. super missus est. quæst. 75. Quidquid est causa causa, est causa causati, at Beata Virgo est causa Filii, Filius autem totius causa, omnisq; misericordie, ergo & Mater erit totius misericordie causa: quidquid igitur misericordie Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, qua Filium genuit, in quo nobis omnia donavit. Ex his patet, Beatissimam Virginem, in misericordia omnem excellere creaturam, quia nimirum ipsius misericordie causa extitit. Hanc igitur misericordie Mater imploratâ Spiritus S. gratiâ Conceptibus veneremur.

CONCEPTUS I.

Confirmatio seu Deductio.

Partum filii Zachariæ annuntiavit Angelus Domini Luc. 1. cap. Uxor tua Elisabeth pariet tibi Filium. Partum Filii etiam Mariæ annuntiavit Gabriel Archangelus. Ecce conceptus in utero, & paries Filium. Ibid. in hac tamen secundâ annuntiatione particulam, tibi, non addidit. An fortè Jesus, Mater

Filius non sit, sicut Joannes Elisabeth Filius fuit? aut carnem & sanguinem ex Virgine Mariâ non sumpserit? Absit: nam (verba sunt Venerabilis Bedæ. lib. 4. cap. 39. in Luc. cap. 11.) *Conceptus ex Utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed maternâ traxit ex carne; alioquin nec filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.* Cur ergo Archangelo vocem, tibi, in annuntiatione suâ omittere placuit? Noverat quàm maximè cœlestis hic nuntius, maternam Virginis in homines misericordiam, quâ nihil tam charum, nihil tam acceptum, quòd homini non cederet, mortalibus etiam cordis sui delicias in uterò adhuc virginali non donaret, charissimum suum Jesulum, tibi magis quàm sibi, misericordiæ Mater appropriaret, ut non immeritò canat Ecclesia. *Nobis datus, nobis natus, ex intactâ Virgine.* Quis nunc intemeratam semper Virginem, misericordiæ Matrem ingratus non recolat?

CONCEPTUS II.

Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem. narrat S. Lucas Evangelista. cap. 2. rectè judicâsti Virgo sacratissima, ut Filium tuum, Dei unigenitum, ferres in Jerusalem: Templum enim Salomonis, Filium David, Salomonem divinum, Sapientiam incarnatam non dedecet; Templum Dei sanctum est, domus est Dei, congrua habitatio Jesu Christi; Judææ Metropolis civitas Hierosolymitana, Filii dilecti, in quo sibi Pater æternus complacuit, dignissima in terris est residentia. Unum tamen adhuc quærere liceat, piissima Dei Mater! cur benedictum hunc ventris tui virginalis Fructum in domo suâ, in Civitate hâc residentiali non reliquisti? ut quideum adimpletâ lege Mosaicâ, de templò Hierosolymitanò, tam magnificò, ac triumphali, ad pauperrimum tugurium Bethlehemiticè stabuli dignata es reportare? An sic Majestati Prolis tuæ sacræ provisum fuit? Misericordiam Virginis Dei Matris non latuit, quòd Templum hoc Salomonis habitatio sit Majestatis divinæ, sedes

sedes rigorosissimæ Justitiæ, in hoc enim ignem de celo descendentem, super victimas viderunt Filii Israël: *Et Manus Domini implevit domum*, Paralipom. cap. 7. In hoc Canticum ipse, vivorum ac mortuorum Judex: *Cum fecisses quasi stercus de funiculis, eiecit omnes* (videntes & ementes) *de templo oves, & boves, & mensas nummulariorum subvertit*, Joann. cap. Novit quoque Virgo clemens, Civitates residuas Regum ac Principum, criminali processui, judicio sanguinis ac Justitiaræ executioni deservire. At verò exigua urbs Bethlehem, apertum ibidem stabulum, liberum diversorium, sustentaculum, & hospitale erat pauperum, commune pro egrotibus asylum, nemo tam abjectus ac miser, cui non liceret divertere ibidem, ac commorari, quin nè vel bruta animalia, ab hoc locò pauperrimò excluderentur; divinæ misericordiæ sedes & habitatio, hæc urbs & stabulum Bethlemiticum erat, in quo fasciis Matris ligatus jacebat Infantulus qui Judex severus, in templò vindicem manum extendit. Civitate igitur Jerusalem ejusque templò justitiæ sede, suum relinquere noluit, pro nobis sollicita Mater, ne mortalium quisque severum Judicem experiretur: in aperta Bethlemiticæ Civitatis stabulum restituere Jesulum dicitur misericordiæ sedi clementissima Genitrix voluit, ut liberam misericordiam Dei cuique pateret accessus, & graves peccatores, qui pecudum more antea vixerant, à divinæ misericordiæ non excluderentur, vel ex hoc capite Matris misericordiæ titulo dignissima. *Sileat misericordiam tuam, O Beata, si quis est, qui invocat am te, in necessitatibus suis miserit defuisse*, subscribit mellifluè S. Bernardus serm. Assumpt. B. V.

CONCEPTUS III.

S. Paulo Apostolo sinistrè delato Festus Præses optulisset dederat, ut pro audiendâ finali sententiâ de duâbus Civitatibus Româ & Jerusalem alterutram pro libito eligeret: quam urbem creditis, prælegisse? Romam sibi Paulus elegit.

Urbem hanc Civitati Hierosolymitanæ anteposuit? fors, quia Roma Caput est orbis, magnam ab eâ felicitatem, aut saltem favorabilem sibi sententiam expectabat? sub ipsâ Ethymologia nominis *Roma*, multum bonitatis latere subodoraverat Apostolus Christi, *Roma* enim retrò *Amor* legitur, ubi amor, ibi favor, ibi misericordia: Non amorem, sed livorem in Jerusalem expertus est Paulus, quò nimirum Dominum suum crucifixere; *Roma* autem, in ipsâ sui nominis Ethymologiâ *Amor* apparuit, hinc præ Jerusalem rectè Paulus Romam appellavit, etenim ab hoc loco amoris, favorabilem sententiam, benignum Judicem ac misericordem sibi promittebat. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda.* Matth. 2. cap. *Ex te enim exiit Dux, qui regat populum meum Israel.* Urbs hæc amoris est, in cujus pauperrimo stabulo, pro redemptione generis humani, natus est nobis Salvator mundi, Urbs amoris, in quâ, *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Joan. 2. cap. Ubi nunc amor, ibi favor, ibi misericordia; Urbi quippe livoris, Urbi vindictæ, & sanguinis, Urbi Jerusalem, benignissima Virgo Maria Urbem Bethlehem prætulit, quia Urbs amoris, favoris, ac misericordiæ erat, ad hanc Filium suum providissima Mater retulit, ut respiciens peccator in hoc asylo benignum Judicem inveniat, atque ab eo favorabilem sententiam, ac divinam misericordiam consequatur. Solatio itaque tuo misericordiæ Matrem peccator agnosce, ad hanc Civitatem refugii cum Antonio Paduano confuge, in cujus meliorem notitiam te inducit S. Laurentius Justinianus serm. de Annunt. B.V. *Maria effecta est Mater Dei, paradisi scala, janua cæli, interventrix mundi, demonum fuga, peccatorum spes, naufragantium portus, maris stella, confugium periclitantium, solamen laborantium, fluctuantium robur, Dei & hominum verissima mediatrix.*

CONCEPTUS IV.

Ab eò temporis momento, quo Jesum suum Maria in templo Jerusalem, in medio Doctorum læta invenerat. Lucæ. 2. cap.

2. cap. diligentius custodivit, nec amplius facile à se dimittit. hinc miraculosas Virginis Deiparæ effigies videre est, in quibus Maria Jesum, brachiis inclusum detinet: Ut quid hunc suum præsentem sibi, tam sollicitè pia Mater desiderat? ut tamarctè constringit? nec dimittit? Neminem fore credidit, quòd Jesus Christus judicaturus sit, vivos, & mortuos, & pater Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Noverint quoque Exod. 3. cap. Ignem arsisse eodem in rubo, neque tamen combussisse. *Rubum, quem viderat Moyses, incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem, sancta Dei genitrix.* canit Ecclesia. Ignem hunc Jesum in sinu suo fovet, stringit, nec dimittit, Virgo Dei Mater, ut peccatorem illuminet quidem, sed non latet, sed non consumat. O vera peccatori misericordiæ Mater. *Ideoq; ô peccator! ne te desperationis barathro mergi sinas, ad potentissimam hanc, clementissimamq; Advocatam recurrere monet Bernardinus de Busto. in Marial. Par. 12. ferm. 2. Coron. B. V.*

CONCEPTUS V.

Ubera Matris misericordiæ, misericordissimus Dominus hinnulis capræ gemellis comparat. Cant. 4. *Duo ubera sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Cur rectè hinnulis, & non aliis animalibus? Rationem reddit Richardus à S. Laurentio. de laud. B. V. lib. 4. *Duo ubera D. Mariæ Virginis, de quibus velut lac pia subventionis dulcedo sugiunt, sunt affectus pietatis, & misericordiæ, qui velut capræ acerrime considerant, quis, & quantà indigeat ope, & per talis considerationem accurrunt velociter, ut hinnuli, & proprios subventionum modos, per hinnulos signantur, qui pascuntur sunt varietate distincti.* Huic accedit Richardus de S. Viti cap. 23. in Cant. *Merito ergo misericordiæ B. V. cursui hinnulorum comparatur, per mundum currit, mundum irrigat, & effundit; hinnulorum velocitatis comparatur, quia velociter*

currit ejus pietas, quam invocetur, & causas miserorum anticipat.

Cum itaque Beatissimam Virginem, misero homini Matrem misericordiae, tam Conceptuum subtilitate, quam etiam SS. Patrum autoritate firmaverimus, hinc quotquot Sauciati, & divinae punitionis gladio sauciandi; quotquot tribulati, & in angustiis, ac calamitatibus sumus constituti, ad ipsam confugiamus, ut, quae stat à dextris Dei, nos peccatores sub protectionis suae pallium admittat, & post miserabilem hanc vitam, illius felicissimi status, quo ipsa jam perfruitur in caelis, participes efficiat. *O Mater, & sancta Virgo!* (sic eam alloquitur Basilius Seleucienfis. Orat. 1. de Incarnat. verbi.) *aspice nos de caelo, oculo propitio, & nunc quidem educ nos hinc cum pace, ad Judicis autem thronum à confusione liberos nos siste, & stationis tandem ad dexteram participes nos effice, ut inde ad caelum abeati, unà cum Angelis, increatam hominiamq; Trinitatem laudemus. Amen.*

*Novis terra satùs; quòd sis Mater pietatis,
Hinc te salutat: ave; tu quoq; Virgo fave.
Nam quod vis, polles, quia sacratissima proles,
Quamvis cuncta regat, nil Genitrici negat.*

